


numero de cosmis, quod quidem hucusque constat, usurpata sit (v. ad tit. 184, 2). Cydantem vero cosmis decimum praefuisse memorabile est.

4. Patris nomini avus additur, ut scilicet vir ipse manifestius indicetur; quod etiam in aliis titulis animadvertimus (v. ad tit. 176*, 20).

251. Inter Pythii rudera reperta mensae ponderariae (σηκώματος) sinistra pars, e lapide vulgari confectae. Cavum rotundum a sinistra et insequentis exigua pars servantur; videtur tamen tertium quoque cavum fuisse, siquidem recte tituli vv. 2 sq. supplere conata sum (v. infra). Titulus, in antica lapidis parte incisus, superficiem occupat l. 0.38, a. 0.175, cr. 0.30, atque margine elato a sinistra ampliore quam superne exornatus est; infra margo deest. Litterae saec. I a. Chr. n., a. 0.018-0.02, rubri coloris vestigia exhibentes. Delineavit Halbherr. Ect.



Ἐπὶ Κύδαντος vac. τῷ Κ[ύδαντος] --
Ζηναῖς Ἀπελωνίω [- -
τῆς ἐπισκευᾶς τῷ [- -
μνάμων vac. ἀγορανομ[- -
τας vac. Ἰάσων vac. Καν[- -

Halbherr, « Mon. Ant. », I (1889), 63 sqq.

1. Tit. 250 collato, qui litterarum formas simillimas et sicut noster agoranomorum mentionem exhibet, virum hoc versu commemoratum eundem Cydantem Cretensium Concilii praesidem esse recte opinatus est Halbh.; unde Κ[ύδαντος] Κρητάρχῃ -- supplevit. Cui supplemento καὶ ἀρχῶ, addito fortasse magistratus numero, addendum videtur.

2. An ἀγορανομήσας (vel ἀγορανόμος) ἐπεμελήθηεν?; quod verbum etiam Halbh. hoc loco desiderat.

3. τῶν σηκωμάτων proposuit Halbh. Certè utique de dono agitur a Zena oblato.

4. Incertum est utrum ἀγορανόμ[ων] an ἀγορανόμ[οι] splendendum sit. Illud si malueris, de agoranomorum mnemone cogitandum erit; cui sententiae non obstat spatium vacuum alteram vocem ab altera dividens (cfr. v. 1, ubi Cydantis nomen a patronymico suo separatur). Sin vero ἀγορανόμ[οι] suppleveris, mnemon cosmorum intelligendus

erit, ita ut in v. 3 ὁ δεῖνα κόσμων fuerit, atque post ἀγορανόμ[οι] eorundem agoranomorum nomina sequantur. Utique illi --]τας, Ἰάσων et Καν[- - in versu insequenti commemorati quinam esse potuerint nisi agoranomi, nescio.

Mensam ponderariam agoranomus (?) extruendam curavisse videtur. Si vero in v. 2 agoranomum agnoverimus, itemque in v. 5 agoranomos commemoratos esse reputaverimus, quattuor agoranomos hac quidem aetate fuisse statuendum erit, cum in tit. 253 tres occurrant. An etiam de mnemone vel de cursore cogitandum est? Mensas ponderarias ab agoranomis dedicatas nonnullas novimus (I. G., V I, 1156 [Gythii]; I G., II-III², 2886 [Athenis]; etc.). Confer Reinach, *Traité d'épigraphie Grecque*, 464; Wilhelm, «Sitz.-Ber. Akad. Wien», CLCCIX, Abh. III (1915), 41.

252. Inter rudera parvae porticus, proxime ad murum Odei rotundum inter orientem et meridiem versus exstantis, reperta tabula e lapide porino, superne cymatio exornata, l. 0.52, a. 0.10, cr. 0.37, undique integra praeterquam in angulo superiore a sinistra. Cymatium circ. 0.02 eminens etiam in lateribus dextro sinistroque exstat, quorum laterum et inferior pars alio cymatio exornata est. In planitie superiore anathematis vestigia cernuntur. Superficies postica et inferior inpolitae sunt, ita ut cogitandum sit hanc tabulam aediculae frontem effecisse. Litterae satis accurate incisae, prioris — ut videtur — saec. I a. Chr. n. partis, a. 0.013-0.02.



Σατυρίδας Πειθωνος ἀγορανομήσας
καὶ γυναικονομήσας μόνος Γόρ-
τυν ἀρχαγέταν καὶ Εὐετηρίαν.

Oliverio, « Ann. Scuola Atene », II (1915), 311 sq., fig. 1; Pernier, *ibid.*, VIII-IX (1925-26; ed. 1929), 32, n. 1, fig. 28.

2 sq., Γόρτυν' non recte Ol., Pern.

Satyridas agoranomi et gynaeconomi munere functus Gortyni, eponymo urbis conditori, et Eueteriae dedicationem fecit.

2, Gynaeconomi munus, quod et Athenis et Spartaet et in aliis civitatibus fuisse constat, in Creta hic modo — quod sciam — commemoratur. Vox μόνος vero eundem virum illo anno duobus muneribus functum esse significare videtur.

2 sq., De heroe Gortyne, urbis conditore, vide praef., HISTOR.

3, De Eueteria, vide ad tit. 250, 6.

253. Eodem loco ubi tit. 252 repertus lapis fere integer, forma non dissimilis, qui item aediculae fronti inaedificatus esse videtur, l. 0.475, a. 0.10, cr. 0.29. Superne et infra antica superficies cymatiis exornata est. Litterae haud inegalantes, eiusdem fere aetatis quae tit. 252, a. 0.012-0.014.



Παιθεμίδας Ῥανίω, Γύφελος Εὐκράνιος,
Γέρων Σωμένα. μνάμων Θεόδοτος
Πολυτίμω, σπεῦσδος Ἀθανίων Ἀθανίωνος.

Pernier, « Ann. Scuola Atene », VIII-IX (1925-26; ed. 1929), 32 sq., n. 2, fig. 29.

1, Εὐκράνιος malui quam Εὐκράνιος (Halbherr, ap. Pern.), ceteris genitivis in -ω collatis quos titulus exhibet; et quidem litterae Σ vestigia in lapide fortasse agnoscuntur.


Tres agoranomi, additis mnemone et cursore, hanc dedicationem posuerunt; haud vero sine momento est agoranomorum collegium e quot viris consti-

terit hunc titulum indicare. Tres etiam aetate imperatoria satis provecta recensentur (tit. 302, 5 sqq.).

1, De nomine Παιθεμίδας, confer quae scripsi ad tit. 167, 7; Ῥάνιος aliunde notum est (v. ad tit. 235, 5 sqq.); cum Γύφελος conferendum est Κύφελος Cnosi usurpatum (tit. 197*, 10); Εὐκράνιος hic primum, quod sciam, in Creta occurrit.

3, Vocem σπεῦσδος, hic primum usurpatam, cum verbo σπεύδειν cohaerere atque cursorem indicare recte animadvertit Halbherr (ap. Pernier). Num tamen σπευσίνοι, servi publici de quibus apud Pollucem (*Onom.*, VIII, 131 sq.) mentio est, huc referendi sint dubito; quamvis hanc quoque vocem cum verbo σπεύδειν colligandam esse pateat.

254. Inter Odei rudera repertus (in hyposcaenii muro interiore inaedificatus fuit) lapis vulgaris, l. 0.58, a. 0.465, cr. 0.22, a sinistra mutilus, ab inferiore vero parte desectus ita ut tituli vv. 5-7 exitus perierint. Litterae saec. I a. Chr. n., a. 0.025-0.03, rubri coloris vestigia exhibentes. Delineavit Halbherr.



Ἐπὶ --]ίδα τῷ Κύ-
δαντος οἱ ἀγορανόμοι
οἱ σὺν Κόρθῃ τῷ Κόρθουος
----- Νεωκλήιος
5 -----]ις Λα. [- -
-----]φίλω
----- ερμα[- -
vac.

Halbherr, « Mus. It. », II (1888), 589 sq.; Blass, 5032. Cfr. Pernier, « Atene e Roma », XVIII (1915), 57.

1, Ἐπὶ recte supplevit Blass; qui tamen litteram ι perperam praetermisit.